Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



manum diaconi quae magnam facem videbatur tenere arripiens, eiusque flammas os faciemque petulantis exurens, instar Ethiopis denigravit. Qua exustione ab ore petulantis parvissima scintilla descendens, candentem tunicam dicto citius conflagravit. Sicque nigrior totus apparuit. Cumque diaconus diceret satis adversarium denigrasse, vos ergo nos autem illum non denigravimus, sed nigrum fuisse demonstravimus. Deinde infortunium meum diversis consolationibus exhortatus abscessit, et facem quam secum detulit, sed tanto lumine locum in quo dormiebam retenta fulgentem dimisit, ut expergefacti pueros autem me dormientes crebrius inclamare, non antequam sub gravi sopore quasi in respondentem surgere potuissent, quam relicta lucis copia paulatim se subtrahens penitus effugisset. Ac de his deus viderit. Ego tamen divinae spei fiducia roboratus, quia Gaudericus episcopus vel alterum expostulat, ad clementem Romanae sedis antistitem suffragante domino stilum converto. Quem cum quam continuis infortuniis teneatur, amicis meis aliquibus utcumque sustentor, mirum respondere nequeo. Tantum illum quidem valeo minime denegasse cognoscat.

Gregorius Theoctistae patriciae. Magnas omnipotenti Deo gratias agere debemus, quod piissimi et benignissimi imperatores nostri tales de suo genere iuxta se propinquos habent, de quorum conversatione nobis omnibus grande fit gaudium. Cum quibus eiusdem domini continue nobis orandum est, ut eorum vitam cum suis omnibus protegente caelesti gratia per longa tempora tranquilla servet. Indico autem quod quorundam levitate tumultum contra vos malum detractionis exortum, quibus dicta nunciantibus agnovi. Quam extra excellentiam vestram audio fuisse non modice contristatam. Quod si ita est valde miror, cur vos quae cor fixistis in caelo verba hominum agitant in terra. Beatus etenim Iob cum amici eius qui ad consolandum eum venerant in increpationem prosilissent, ait: Ecce enim in caelo testis meus, et conscius meus in excelsis. Qui enim vitae suae in caelo testem habet, iudicia hominum in terra pertimescere non debet. Unde quoque bonorum Paulus dicit: Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso gloriam habebit, et non in altero. Si enim aut laudibus laetamur aut vituperationibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. Et fatuae virgines in vasis suis oleum non sumpserunt, sapientes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Lampades quippe nostrae bona sunt opera, de quibus scriptum est: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est. Tunc autem oleum in vasis cum lampadibus sumimus, quando de bonis actibus nostris gloriam non a laudantibus proximis quaerimus, sed testimonium intra nos conscientiae servamus. In nomine enim quo de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Et si omnes vituperent, liber est quem conscientia non accusat; quia et si omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat. De Iohanne veritas dicit: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Quod videlicet per negationem dicitur, non per confirmationem, cum subditur: Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Quem videlicet iuxta veritatem evangelii Iohannes vestimento aspero indutus fuit, per significationem tamen mollibus vestiti sunt, qui adulationibus ac laudibus delectantur. Negatur autem quia Iohannes ut harundo vento agitatus fuit, quia mentis eius fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim si laudibus erigimur, vituperationibus humiliamur, harundo vento agitata sumus. Sed absit hoc a corde excellentiae vestrae. Scio quia magistrum gentium studiose legistis qui ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Si qua tamen vel parva tristicia ex hac re menti vestrae exorta est, credo quod hoc omnipotens fieri benigne permisit. Neque enim electis suis in hac vita gaudia permisit delectationis, sed amaritudines tribulationesque medicinae more per amarum poculum ad dulcedinem aeternae redeant salutis. Quod namque dicitur: Mundus gaudebit, et vos lugebitis. Qua spe quam promissione paulo post additur: Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis. Hinc iterum discipulis dicitur: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pensate quaeso quae est patientia, si deest quod tolleretis.

Non suspicor enim Abel esse, quem Cain malicia non exercuit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecte esse boni non possunt, quia minime purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. Tres in archa filii fuerunt; unus irrisor patris exstitit, qui et si ipse benedictus fuit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham priusquam Cethuram acciperet uxorem filios habuit, sed tamen carnalis eius filius repromissionis est filium persecutus, quod magnus doctor exponit dicens: Sicut is qui secundum carnem natus est persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Duos Ysaac filios habuit, sed unus qui spiritalis exstitit, ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim Iacob filios habuit, sed unum qui recte vivebat decem in Egyptum vendiderunt. In David propheta fuit quod purgari debuisset; actum est ut persecutorem filium pateretur. Beatus Iob de societate reproborum dicit: Frater fui draconum, et socius struthionum. Ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Inter duodecim apostolos unus reprobus mixtus est, ut esset de persecutione qui fideles temptaret. Apostolorum princeps loquitur dicens: Iustum Loth oppressum a nefandorum iniuria eripuit. Aspectu enim et auditu iustus erat, habitans cum eis qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Paulus quoque apostolus scribit dicens: In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Quia ergo scripta teste cognoscimus in hac vita bonos sine malis esse non posse, de stultorum vocibus excellentia vestra nullatenus turbari debet, maxime quia in omnipotente Deo tecta fiducia est. Quam pro bono opere adversitatis aliquid in hoc mundo recipit, ut plena in caelestis aeterna retributione servetur. Unde in sancto evangelio veritas dicit: Beati eritis cum adversum vos omne malum dixerint homines mentientes propter nomen meum. Qui in consolatione nostra sua in exemplum adducere obprobria dignatus est dicens: Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius. Sunt autem plerumque qui vitam bonorum fortasse amplius quam debet laudant, et ne quae elatio de laude subripiat, permittit Deus omnipotens malos in obtrectationem et obiurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est quod doctor gentium se in praedicatione currere testatur inter infamiam et bonam famam, qui et dicit: ut seductores et veraces. Si igitur fuerunt qui Paulo malam famam imponerent, qui hunc seductorem vocarent, quis ergo christianus est qui debet dignum ducere pro Christo iniurias audire? Quem vero autem virtutis praecursor nostri redemptoris fuit novimus, qui per sacrum eloquium non solum plus quam propheta, sed etiam angelus vocatur; et tamen sicut eius historia testatur, post mortem a persecutoribus corpus eius incensum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus? De ipso sanctorum sancto, Christo, qui pro nobis homo factus est loquimur, qui ante passionem iniuriam quia demonium haberet audivit, et post mortem a suis persecutoribus seductor appellatus est cum dicerent: Scimus quia seductor ille dixit: post tres dies resurgam.

Quanto ergo nos peccatores a lingua vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in adventu eterni iudicis iudicandi sumus, si et ipse tanta et post mortem pertulit qui iudex venit. Haec dulcissima et excellentissima filia breviter dixi, ne quotiens stultos homines vobis derogare cognoscitis, quibuslibet parvula mentis tristicia tangaris. Sed quia sedari hoc ipsum